

neque apud illos rationi ulli, vel precibus locus; contendente licet Hieronymo Adurno, qui eos in Italianam ductaverat, hostibus, qui incolumes, servatis tormentis, se receperant, non debellatis, pecuniam sibi minime deberi; resque eo processit, ut reliquos milites ad seditionem solicitando, hostilia ducibus minarentur; manus quoque in Prosperum Columnam injecturos, ni postulata præstaret, vociferantes; ut Franciscus Sfortia, ne victoriæ fructus militum arrogantia in discrimen adduceretur, triginta dierum spatio efflagitatum a militibus munus polliceri coactus fuerit. Ardore militum restincto, Cæsareani Laudem oppugnare aggressi, cum omnia tumultus, ac terroris plena invenissent, urbe, quæ semper miro studio nostris faverat, potiuntur. Nam cum equitum cataphractorum turmas Lautrechius subsidio misisset, peditibus eodem itinere Laudem contendenteribus, hostes opinione celerius ad urbem profecti, inopinantes Gallos, nondum stationibus dispositis, perturbatos, ac rei novitate percusso offendunt: suburbio potiuntur: territis propugnatoribus, fugaque salutem quærentibus, facilis ascensus militibus per aggères, ac muros in urbem fuit: plures capti: cæsi nonnulli: reliqui impedimentis exuti, Abdua trajecto, in tutiora loca se receperunt: urbs foede direpta: cives in servitutem redacti. Calamitate amicæ urbis audita, statim Andreas Gritus Legatus, & Paulus Nannius Bergomum, & Cremam, quæ non longe a Laude distant, validiori præsidio firmant, copias sub signis cogunt; tum, ut ad omnem belli eventum præsto essent; tum, ut agri, atque incolæ ab hostium incursionibus tutiores redderentur. Senatus, ne Cæsareani Laude potiti Cremonam aggredirentur, veritus, per Legatum Lautrechium hortatur, ut cum exercitu Cremonam proficiscatur, quo facilius cum Scudo fratre, quem civitati præfecerat, junctis viribus, hostium conatus repellere, atque urbem defendere queat; id recte administrandi belli rationes exposcere, ut præcipuae urbi in Insubribus periclitanti subveniatur: si intra Reipublicæ fines se recipiat, hostes belli impetum in Venetos effusuros; inde plurimum Reipublicæ detrimenti, nil opis suis rebus perventurum: tuto in agris Gallorum reliquias contineri non posse; si oppidis, atque urbibus excipientur, periculosum esse, ne

*Laus Pompeja a federatis capta.*